



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,
in visitationem Saxoniam**

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1564

De doctrina Christiana, cap. 4.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35803

In oratione
Dominica
explanata.

contempta Papæ, Conciliorumque; autoritate,
sua sequitur somnia Vanissima, populumque
simplicem sceleratè concitat ad rebellandum:
Quanto satius igitur fuisset, tuo iussu aut sal-
tem permissu compescitum fuisse Lutherum, ne
per furiosam iracundiam, abyssalemque (ut
ipsemet vocat) superbiam, contra tam crebras
promissiones protestationesque Doctoris &
Martini, Papam simul cum Conciliis, totaque
Ecclesia Dei usque adeo irreuerenter peruida-
citerque contemneret, calumniaretur, ac male-
diceret: quam nouam præscribi ab eo sacrorum
ordinationem Parochis, per quam ludibrio sit,
non solum Ecclesiæ filius, quos impugnat, sed
& Suermeris suis populisque tuis, qui probe
sciunt, quam contraria scripserit ante.

De doctrina Christiana.

CAP. IIII.

VISITATOR.

In li. Visit.
Saxonia.

Comperimus igitur in doctrina hunc præ-
cipuæ defectum: quod aliqui, licet de fi-
de per quam iustificemur prædicent, non iudi-
cant tamen sufficienter, quomodo ad fidem
perueniatur, ac fere omnes eam particulam
omittunt, sine qua nemo intelligere potest,
quid fides sit aut vocetur. Christus enim ait

Lucæ ultimo cap. prædicandam esse in nomine suo pœnitentiam & remissionem peccatorum. Multi autē nunc de sola remissione peccatorum loquuntur, de pœnitentia verò aut nihil aut parum: Cum tamen absque pœnitentia nulla sit peccatorum remissio, neque possit peccatorū remissio absque pœnitentia intelligi. S V E R. O Papistam nouum, imò plus quàm Papistam: Nam apud Papistas paruulus absque pœnitentia consequitur remissionem peccatorum per baptismum. Tu autem opera pœnitentiæ introducis ante fidem, & remissionem peccatorum, quæ tamen nullus Papistarū in puero prærequirit. At ego neque opera pœnitentiæ, neque sacramenta, iustificationem, hoc est remissionem peccatorum, facere affirmo, sed solam fidem. Sic enim ait scriptura Rom. j. & Abacuc. ij. Heb. x. Iustus ex fide sua uiuet. Non dicit, Iustus ex sacramentis aut ex operibus pœnitentiæ uiuet. Mar. vlti. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: Qui autem non crediderit, condemnabitur, etiam si baptizaretur: neque enim baptismus saluat, sed fides baptismi. L V T. Vide quæso, ô Visitator, ne te fallant operum pompæ, & humanarum traditionum fallaciæ, vt veritati diuinæ, & fidei tuæ facias iniuriam. A fide enim sacramentorum tibi incipiendum est, sine vllis operibus, si saluus fieri voles, fidem autem ipsa sequentur opera, tantū ne vilem habeas fidem, quæ opus

*In lib. Assertionis.
art. 50.*

In Cap. Babil. cap. de bapt.

DE DOCTRINA CHRISTIANA
est omniū operum excellentissimū, & arduis-
simum? quo solo, etiam si cæteris omnibus ca-
rere cogereris, seruaberis. Est enim opus Dei,
non hominis, sicut Paulus docet. VISI. Quā-
uis putent aliqui, nihil docendum esse ante
fidem, sed docendum potius, quòd pœnitētia
ex fide & post fidem sequatur, ne aduersarij
nostri dicere possint, reuocari nunc priorē do-
ctrinam nostram: Considerandum est tamen,
quia pœnitentia & lex etiam pertinent ad cō-
munem fidem. Oportet enim prius credere,
quòd Deus sit qui præcipit, minatur & exter-
ret &c. Conducit itaque communi & rudi
populo, vt hæ partes fidei dimittantur perma-
nere sub nomine pœnitentiæ, præcepti, legis,
timoris &c. vt eo melius discernant fidem,
quā Apostolus fidem iustificantem vocat, quæ
iustificat peccatāque delet, quod fides de præ-
cepto & de pœnitentia non facit. Et tamen
populus communis errās, dubiūque redditur
super hoc vocabulo, fides, atque proponit
quæstiones inutiles. B A R R. En rursus cum
Papistis & Thomistis nobis duplicem facis fi-
dē, informia bona & mala. Caue igitur ne &
tibi dicamus, vt olim Catharino: Esto digne
Thomista, hoc est, sacrilegus & monstrificus
scripturæ Dei latro. L V T. Longe diuersa est
hic, ô Visitator, mens tua ab ea, quam olim no-
biscum asseruisti, sententia: Nempe, quòd fi-
des sit caput, vita & virtus omnium aliorum
operum, & verissimè illud vniuersale, reale,

*In lib. Visi-
ta.*

*In lib. con-
tra Ambr.
Catha.*

*In Commē-
ta super
Psal. 13.*

quod est vnum in omnibus, vt nullum opus sit bonum, nisi fides ipsum operata fuerit, imò, nisi fide, vt fermento nouo, imbutum penitus ac perfusum fuerit: fides autem esse nullo modo potest, nisi sit viuax quædam & indubitata opinio, quæ homo certus est super omnem certitudinem sese placere Deo, se habere propitium & ignoscentem Deum in omnibus, quæ fecerit aut gesserit, propitium in bonis, ignoscentem in malis. Quid enim est fides quæ non est talis opinio? Vana est igitur & efficta, noua illa fides tua de præcepto, de penitentia, de timore, de lege. &c. ECCLE. Visitator iste haud secus hic agit, quàm agunt Papistæ, qui pati non possunt, quòd credo, & dico, solam fidem in Christum facere ac expedire omnia, sic enim subuerto simicum ludum totius mundi, quem exercent in operibus.

L V T. Meminisse adhuc potes, visitator, quàm male id habuerit iam pridem Cochleum, quòd ausus sim adicere hanc vocem, sola: Cum neque Paulus, neq; vna omnino scriptura vsquã eam vocolam fidei coniungat, propter quod sane falsarium ac adulteratorem scripturæ sacrilegum me vocabat. Quod & alios pleròsq; etiam ex nostris vehementer mouebat, causantes temerè & impiè a me vocem hanc adiectam, pro meo statuendo errore. Huius autem temeritatis meæ rationem reddidi, & me cum modestia expurgavi. E C C L. Sed & ego sæpe dixi, solam fidem non sufficere ad Deum,

*In. 500. ar.
art. 4.*

*In lib. contra
Iohan.
Cochleum.*

In. 500. ar.

DE DOCTRINA CHRISTIANA

Ibi art. 24. quia pretium quoque redemptionis nostræ
In Ser. ita adesse oportet : quandoquidem & Turci &
Deus dile- Iudæi etiam credunt in Deū , sed absque me-
xit mundū. dio & pretio. L V T. Atqui multò sæpius dixi-
Ibi art. 45. sti, vbi fides est, ibi nullum nocet peccatum, &
71. sola fides tractat cum Deo , quo nulla opera
In Ser. Re- peruenire queant , Item, quòd Paulus & tota
cumbētibus, scriptura cogant nos credere , quòd sola fide
11. appa. illis ad Deum agere oporteat. M A R. At ego di-
Iesus. xi & dico, quòd oporteat nos conteri, dolere,
In Sermone confiteri, ac bona opera facere: ita tamen , vt
de pœnitentia. fidem Sacramenti sumamus esse principale bo-
 num, quo gratiam Dei consequimur. Deinde
 multa faciamus opera bona, solū modo ad
 honorē Dei, & vtilitatem proximi, non vt cō-
 fidamus in eis, tanquam pro redimendis pec-
 catis sufficiant. D O C. Certe, Dominus &
 magister noster Iesus Christus, dicendo, Pœ-
 nitentiam agite &c. omnem vitam fidelium
 pœnitentiam esse voluit: Non tamen solā in-
 tendit interiorem, imò interior nulla est, nisi
 foris operetur varias carnis mortificationes.
 Vnde sequitur, quòd illæ tres partes satisfac-
 tionis, Ieiuniū, Oratio, Eleemosyna, sint de
 pœnitentia Euangelica : Ieiunium autem ha-
 bet in se omnes castigationes carnis. Oratio
 omne studium animi, meditando, legendo, au-
 diendo, orando. Eleemosyna verò omne ob-
 sequium erga proximum , vt ita per ieiunium
 sibi seruiat, per orationem Deo, & per Elee-
 mosynam proximo. Per primum vincat con-

In Resolu.
Conclu. I.
73.

cupiscentiam carnis, & uiuat sobriæ & caste.

Per secundum, superbiam vitæ, & uiuat piè.

Per tertium, concupiscentiam oculorum, & ui-

uat iuste in hoc sæculo. E C C L E. Hæc Mo-

nachis dicit, & Monialibus, aliisque Papistis,

qui per bona opera salutem querunt. Ego au-

tem dico tibi, quia angusta est via: Oportet te

fieri tenuem, si vis per eam venire, ac per petrâ

penetrare. Cæterû, qui operibus onerati sunt,

sicut cõchilibus onustos videmus, Iacobi pe-

regrinos, ij non poterunt penetrare: Ideo oportet

te tenuem, angustum fieri, Hoc fit autem,

quando in te desperas: Si autem adueneris cû

magnis saccis, operum plenis, deponere oportet

tebit, alioquin penetrare nõ poteris. DOCT.

Si hæc vera essent, inique profectò traduxif-

femus ad populum, Questores indulgentiarû,

ea potissimû ratione, quòd fœliciores essent

ij, qui per se satisfaciunt, quàm qui indulgen-

tias redimunt: Cûm indulgentiæ nihil sint

aliud, quàm relaxationes bonorum operum,

quibus satisfactio impletur. Melius proinde

fit, Indulgentias omitti, quàm redimi. SVER.

Sed hanc sententiam mutauimus postea in Ba-

bylone nostra, vbi rogauimus omnes & bi-

bliopolas & lectores, vt vniuersos libellos no-

stros de Indulgentiis exurant, & por omnibus

hæc propositionem apprehendant. Indulgẽ-

tiæ, sunt adulatorum Romanorum nequitia.

V I S I. Si sic pergitis, non solùm Indulgen-

tias, sed & pœnitentiam, bona opera, omnem-

*In 500 art.
art. 31. &
32.*

*In Ser. ita
Deus dile-
xit mundũ.*

*In Actis
Augustinẽ-
sibus in fi.*

*In Cap. Ba
bil.*

In lib. Vñsi.

DE DOCTRINA CHRISTIANA.

que satisfactionem reiicere, predicantes remissionem peccatorum absque penitentia, hoc utique sequetur incommodum, quòd homines putabunt se iam peccatorum veniam consecutos, eruntque per hoc securi, & absque timore. Quod certe maior error perniciosusque est, quàm omnes errores ante hoc tempus fuerunt. Ideoque timendum est, ne nouissimus error (sicut Christus ait Matth. xij.) fiat peior prioribus. S V E R. Quid mirum, quæso, si te nouum Papistam dicimus, & spiritum perdidisse putamus, qui Christianos sic depellis a fide & libertate in veterem penitentiae timorisque & operum carnificinam? Vt fidei in Christum non relinquant locum, sed excarnificatis nouo timore conscientias per opera penitentiae satisfacere pro peccatis homines cogas, ac nouam introducas sanguisugam, aliquando infatiabilem, quæ populo dicat, Affer, affer, & peccata vendat.

*In lib. cõtra
Epistolam
regis Angliae.*

*In Cap. Ba-
bylo. ca. de
penitentia.*

COCLÆVS.

Quid hic facias, Illustriss. Princeps, in tot diuersis contrariisque sententijs vnus eisdemque Lutheri? Nihil sane rectius aut iustius feceris, quàm vt dicas ei, quod ipse nuper dixit Suermeris illis Sacramentarijs: Cum habeat contra seipsum, tam multos intellectus in vna re, quorum alius cum alio non concordat, necesse est, vt vbi mera sint mendacia & dæ-

*In lib. 2. cõ-
tra Zuing.
& Occolo.
Tuu. 3.*

monia, & nullus spiritus bonus. Longe enim tutius honestiúsque sic dixeris. Iuxta doctrinam Pauli, qui ait: Hæreticum hominem proprio iudicio condemnari, quam ut mobilem istam arundinem, in tam diuersas incertásque partes & contrariis corruptæ mentis flatibus agitatum, leuiter sequaris. Si enim iuste reprehenditur ab Historicis M. Antonius clarissimus, alioqui (teste Plutarcho) Imperator, quòd fugientem Cleopatram Reginam Aegipti sequeretur, amens relictis tot nauibus adhuc intactis legionibúsque. xxij. in littore: Quanto iustius reprehendet te omnis ætas, omnis posteritas, si pertinatius vni huic leuissimo Cucullo, qui neque Rex, neque Regina est, adhaereas: eúmque per incerta fugientem sequaris, relictis tot Regibus, ac Principibus cum vniuersa Ecclesia Dei certam Petri fidem tenentibus, quibus ille iam pridem Anathema Maranatha est, & fuit.

De prædicatione Euangelij

Cap. V.

V I S I T A T O R.

DOcuimus itaque & admonuimus Parochos, ut Euangelium integre (quemadmodum tenentur predicent) non particulam In. lib. V. sita.